

Et in terra, prosa sive sequentia quando habetur, tractu et credo in unum deum. Cantor etiam in missa Alleluia semper incipit et totus chorus neuma prosequitur cum versu. Quod si fuerit festum XII lectionum aut infra octavas vel missa sollemniter cum duobus videlicet ministris cantatur, tunc Alleluia primo inceptum per cantorem ad certam pausam, postea per totum chorum resumitur cum versu sequente et alleluia in fine repetito. Tempore paschali secundum alleluia pro principali quod ut dictum est solum in festis aut missis sollemnibus primo inceptum reiteratur.

(Fortsetzung folgt im nächsten Hefte.)

Aus dem Briefverkehr deutscher Gelehrten mit den Benediktinern der Kongregation von St. Maur und deren Beziehungen zu den literarischen und religiösen Bewegungen des 18. Jahrhunderts.

Von J. E. Kathrein, O. S. B.

(Fortsetzung zu H. IV., 1903, S. 625—631.)

Beilage A.

Korrespondenz des Johann Christoph Bartenstein mit dem Mauriner Dom Bernard de Montfaucon.

I. Viro Summo Dno Bernhardo Montefalconio S. P. D. Joh. Christophorus Bartensteinius.¹⁾

Miraberis sine dubio, Vir Pl. Reverende, qui fieri potuerit, ut homo Tui amantissimus et quem colloquiorum Tuorum suavitas adeo ceperat, ut vix a latere Tuo avelli se fuerit passus per totos tres integros menses nihil quicquam ad Te literarum daret. Non diffiteor aliquam hac in re esse culpam meam, sed ne quaeso omnem mihi adscribas: partem morae itineri Tuo meoque, partem quoque febris qua haecenus correptus fueram, bonus condona. De meo enim erga Te affectu non est, quod ullus dubites. Haerebit semper alte infixam menti meae beneficiorum, quae in me contulisti, memoria Teque, quem parentis loco colo, tam non oblivisci quam me ipsum potero. Jucundissimum mihi fuit ex literis, quas Lutetia ad me exaratas accepi, prosperum Tuum in urbem reditum didicisse. Utinam et Argentinam aliquando praesentia Tua beares! Si vel maxime tunc hinc abessem patris tamen affinisque mei officia obsequias promptissime Te experturum spondeo. Gratulatura certe tibi foret de tanto hospite domus nostra, ubi Tu eam hoc honore dignam judicaveris.

¹⁾ Nationalbibliothek Paris, Fonds français 17702. Correspondance Montfaucon II. p. 153 sqq.

Antiquitatum Tuarum collectionem avidissime hic expectant, quibus ex fama scriptis Tuis Te nosse datum est. Gratulantur illi Germaniae, cujusquos antiquitates tam insigni scripto a Te inserendas ex me intellexerunt. Ego certe amore patriae ductus, ut ei quoque aliquem in isto opere locum concedas enixe a Te rogo. Cumque Krutzmannus noster haud exiguam lucem ijs, quae de Germanorum dijs Tacitus memoriae prodit, affundat, quae de eo tum in Schilteriano Chronico Argentinensi tum in patriae chartophylacio reperire potui, paucis Tibi exponam.

Olim in eo loco, in quo nunc cathedralis nostra Ecclesia veri numinis cultui dicata conspicitur, statua ex aere adorabatur, qua Herculem referri vel ex addita eidem clava leonisque exuoijs constat. Inde Clodoraeus 1. circa initium saeculi sexti sacras ibi primum exstrui aedes curavit. Statua in Divi Michaelis sacelli seposita. vid. Rhenan. l. 2. rer. Germ. Sunt, qui credunt, tempore dissidij, quod inter Evangelicos et Pontificios Canonicos intercessit, Evangelicos, qui in urbe degebant, idolum illud e summo templo jam antea in communem ipsorum curiam translatum sibi vindicasse, atque ita illud in Serenissimi Marchionis Badensis, qui et ipse ab initio Canonicus Argentinensis fuit, manus pervenisse, qui postea illud mutata religione Abbas Fuldensis et Ecclesiae Romanae Cardinalis factus privato cuidam vendiderit. Quod si ita est, statua illa Issiaei (Issy) in campestri Dni Vanholle directoris olim rei maritimae domo asservatur, qui eam ab Illustrissimo Dno Marchione de Louvois sibi comparavit. Sed haec meris conjecturis inmituntur: Tu omnium optime rei huius veritate indagare poteris conferendo imaginem statuae (prout illa ex Speckelij Chron. MSto quod in patriae nostrae archivo asservatur, in Schiltero Chron. Argent. p. 550 exhibet) cum ipsa illa statua, quam Dmnum Van Holle possidere dicitur. Hoc certo certius est, Herculem ea statua referri, quo facit Taciti loque c. 2. de Mor. Germ. fuisse apud eos et Herculem memorant, primumque omnium fortium virorum ituri in proelia canunt Gf. quos ejdem c. q. Dedit hoc occasionem Anno Viterbensi comminiscendi in pseudo Beroso suo Regem Germanorum, cui Herculis Alemannici nomen indidit, quod commentum ut egregie falsitatis Rhenanus l. 3. rer. Germ. pag. 350. arguat, negandum tamen non est plures in orbe Hercules uti et Joves extitisse, nec improbable est Germanis quoque peculiare tale idolum non defuisse. Nomen Krutzmanni diversi diverso modo interpretantur alij per visum bellicosum quasi diceres Kriegsmann; Schilterus per virum magnum, quod antiqua Germanorum lingua Kruotz idem sit ac magnus; vel etiam per Herculem provocatorem, quod cruozon provocare vetere Celtarum idiomate significat. Mihi omnino verisimile videtur, terminationem vocis Krutzmann explicari commode posse ex illo Taciti loco de

Mor. Germ. c. 2. Celebrant, ait ille, carminibus antiquis, quod unum apud illos annalium et memoriae genus est, Tuisconem deum terra editum et filium Manu originem gentis conditoresque.

Hinc certe factum esse puto, quod plerarumque gentium Celticarum nomina in Manus terminantur, unde Germani, Alemani, Marcomani. Refert alias idem Tacitus c. q. ejusdem operis, Germanos nec cohibere parietibus deos suos, neque in ullam humani oris speciem eos assimilare, sed id vel de Taciti tantum temporibus intelligendum, vel ex ijs, quae in thesauro Palatino de vetere Germanorum Mercurio Bergerus, Meibomius et Monumenta Paderbornensia de Irmensula Saxonica, Bangertus in commentario ad Helmodi Chron. Slav. de Slavorum Dijs Deabusque Pronone, Ridegasto et Siwa collegerunt, falsitatis facile convincitur. Ego recensendis hisce merito supersedeo, quod haec Tibi perspectiora, quam mihi esse nullus dubitem.

Ex publica fama nuper cognovi vos in examinanda S. Pontificis contra Quenellium lata sententia admodum esse sollicitos. Legi propositiones, quas ex Quenellianijs observationibus excerptas Papalis Bulla ut haeresim redolentes condemnavit. Inveni plerasque nostrorum doctrinae apprime convenire, gavisusque sum maxima in Ecclesia vestrate lumina per 40 annos dubitasse num dogmata illa pro haereticis habenda sint nec ne? Exprobrastis olim Protestantibus injuriam ab illis in eo Vobis fieri, quod foeminis plebique biblicorum lectione a Vobis interdicti criminantur, qua de re gravissime conqueruntur ii, qui eruditissimam N. T. versionem Montibus Hannoniae impressam tuendam in se susceperunt. Sed num idem adhuc hodie sitis dicturi, postquam tam solemniter Pontifex haereticum esse pronuntiavit Sacrae Scripturae lectionem cuivis commendare, valde dubito. Ego sane vellem, ut id etiamnum a Vobis fiat: nam ut fatear, quod res est mihi haecenus persuasissimum fuit, Vos Gallos minus a nostratium doctrina dissentire quam Italos Germanosque Pontifici partim, partim superstitionibus nimium tribuentes.

Revocabam mihi in memoriam, quae olim a vestris legatis in Tridentino Concilio pro impetranda reformatione Ecclesiae in capite et in membris, pro communione sub utraque, pro conjugio Sacerdotum proque adstruendis libertatibus vestris fortiter acta dictave fuerunt. Memineram quoque eorumque circa doctrinam non dico Jansenistarum [hoc enim nomen nimis Vobis exosum], sed Thomistarum quoque Vestratium de gratia, quae non nisi verbis ab ijs discrepare quae de justificatione nostri sentiunt, persuasum mihi erat.

Tandem mihi in mentem quoque veniebat, quod in eruditissimi cujusdam Galli (meletemate) inveni axioma Romanum

Pontificem primatum habere in Ecclesia, sed nullum jus in Ecclesia. Ego sane Pontificem Romanum primum in orbe episcopum esse non negaverim. Cum enim Ecclesiastica disciplina juxta civilis politiae normam fuerit instituta, ut magnis civitatibus Episcopi, ijs vero, ubi Praesides residebant, provinciarum urbibus primariisque Archiepiscopi tribuerent, mirum non est quod primaria in Ecclesia dignitas ei fuerit assignata, Praesul erat illius urbis, quae sede imperatoria insignis in reliquis omnibus imperium exercebat. Sed an ob id dictatorio more de rebus religionem concernentibus Papa in cathedra Petri, uti vos loquimini, sedenti judicare fas sit, viderint alij. Ego Quenellij vicem vel ideo doleo, quod cum de Ecclesiae vestrae unitate tam egregia attulisset in medium, num ex ejusdem gremio exturbatum si arbitrio Pontificis hac in re unice standum, quod hactenus libertatibus vestris, praxi veteris Ecclesiae omnino conformibus repugnare firmiter credideram.

Sed quid haec ad te, inquires, maxime cum res sit aliena, non tui fori. Aperiam Tibi intima animi mei sensa, Vir Pl. Reverende. Nemo me magis hactenus pacem in Ecclesia, concordiamque inter dissentientes exoptaverat, et quamvis, ut illa coalesceret, fieri vix posse cernerem, eandem tamen quotidianis a Deo precibus expetere non intermittebam. Interdum quoque aliqua me spe lactabam, si per vestrorum nostrorumque Theologorum ambitionem et auri sacram famem fieri posset, ut concordiae inter nos ratio iniret, initium illam a Gallia vestra sumpturam, quae spes omnino evanesceret, si nos a prudentibus majorum vestrorum institutis discedere animadverterem. Hoc liberius forsitan apud Te, quam par est, sed vides quantam mihi det fiduciam propensissimus Tuus erga me affectus et vere paternus amor. Novi huic hoc scribam nec in cujusque alteriusque sinum haec effunderem, quae in Tuum nunc effundo. Quam vellem coram de his Tecum disserere. Forte propitia mihi fata me Tibi aliquando Teque mihi reddent. Otum quantum ego!

Ruam certe in amplexus Tuos Tuique desiderium innumeris osculis lenibo. Interim de me hoc Tibi persuadeas velim, me veneratione nominis Tui admiratione virtutum gratissimaque beneficiorum, quibus me mactasti, memoria palmam nemini ulli cessurum unquam. Vale Galliae Tuae decus reique literariae insigne ornamentum atque favere perge.

Pl. Reverendae dignitatis Tuae addictissimo cultori

Joh. Christophoro Bartensteinio.

Scrib. Argent. d. 4. Dec. 1713.

II. Briefkonzept.

Dom Montfaucon an J. Chr. Bartenstein.¹⁾

Perquam gratissimae mihi litterae tuae fuerunt, vir amicissime, multisque mihi nominibus colende gratiores etiam futurae, nisi adversae valetudinis tuae me certiores facerent, adfectus enim erga me tui testimonia adeo conspicua, quid aliud me tui amantissimum, quam beate potuerunt. Quod autem me ad oras iter habere vestras hortaris, id sane praesens rerum conditio non patitur; speroque tamen si aliquot annis hac luce uti liceat, me Argentinam Rhenique terminos secundo peragraturum, votisque summis exspecto, ut mihi isthic praesentia consortioque tuo frui contingat.

Vetera monumenta quod spectat exactis hinc quoque sexve mensibus, tres viros delineandi peritissimos operi admovere animus est, qui non delineandi finem faciant, donec chalcographo totum tradi possit. Ex Italia mihi subinde accedunt nova antiquitatum vestigia id scilicet curantibus amicis. Ex Germaniae finibus tua, vir amicissime, opera mihi quaedam accesura esse non frustra sperabam, cum jam me litteris tuis de Hercule Argentinensi certiores feceris. Si quid ulterius in manus veniat me commonefacere non graveris.

Adest schedius de Diis Germanorum, aderunt Taciti commentatores pro eorundem explananda militia: cui rei expediendae mirum quantum conferet columna illa Antonina, Schilteri item chronicon consulere non negligam. Mire placent quae de Kruzmanno erudite disseris, non perinde autem, ut amico vere fatear, quod veterem Germanicam linguam eandem quam Celticam fuisse statuere videaris, nam si quidem, ut nonnulli arbitrantur, Germanicas quasdam nationes; Rheni oris finitimas Celtice loquutas dixeris, non abnuam, etsi mihi nondum exploratum sit. Sin theotisciam Celticamque eandem fuisse putaveris; id minime possum admittere, qua vero de causa disquirere maioris esset.

Saepe dolui cogitans, quibus exordiis quibus seditiosorum cuiusvis nationis hominum machinamentis apud nos religionis sint facta divorcia. Optime dicis non tantam esse inter Augustanae fidei cultores et nostrates Gallos Catholicos in fide disciplinave discrepantiam, ut priores illi debeant istorum circa fidem et disciplinam opinionem respuere; imo vero ne putes summum Pontificem, etsi aegre ferat, propositiones quasdam immunitates Ecclesiae Gallicanae a nostratibus memorari, earum sectatores ideo condemnare nec etiamsi Jansenii circa gratiam dogmata proscripta damnataque fuerint, ideo Thomistarum sententiam pari

¹⁾ Ibid. 17701. Corresp. Montfaucon. I., p. 1. Nr. II. ist die Antwort auf den vorhergehenden Brief.

anathemate percusam esse. Quam ob rem si Protestantium quispiam ad fidem Catholicam accedere vellet, nihil officeret, quominus inter Catholicos accenseretur, si circa disciplinam cum nostratibus Gallis consentiret, et si Thomistarum de gratia doctrinam sectaretur. Sed haec fusius faciliusque praesenti narrari possent. Si haec itaque tibi tuta via, si hic aditus ad nostram adeundam Ecclesiam opportunus videatur, non est quod haereas. Plura possem addere, at praeterquam quod undique premunt litteraria huiusmodi negotia, quae rem fusius prosequi non sinunt, Erudito viro loquor, qui possit posita omni praepjudicata opinione quam avidè quaerit veritatem adcingere.

III. J. Chr. Bartenstein an D. Montfaucon.¹⁾

Dici non potest, Vir Pl. Reverende, quanto me gaudio perfuderint literae Tuae aliquos abhinc diebus mihi traditae. Multis certe nominibus illae erant mihi jucundissimae, tum quod nuntiae prosperae Tuae valetudinis tum quod testes essent eximiae illius benevolentiae, qua me hactenus es complexus. Non enim nisi summi amoris indicium esse potest, sollicitudo illa, quam Te gerere ostendis pro incolumitate hominis non ullo suo merito Tibi eruditissimo Viro sese commendantis.

Gratulor patriae, quod spem facis eam aliquando Te praesente fruituram; magis adhuc mihi gratulor, quod me consortio Tuo adeo suavi, adeo proficuo non indignum censere demonstras. Maxime vero Reipublicae literariae gratulor de laboribus, quos Tu bono publico impendere nunquam cessas. Opus antiquitatum diversissimarum nationum, quod moliris, non dubito fore omni ex parte perfectum, quia a Te proficieturum. Difficultas operis terruisset alium, sed Tu contra eo audentior gloriosiusque ducis rem aggredi, in qua explananda operam fere omnes atque oleum perdididerunt.

Gaudeo in Italia viros esse, qui ea Tibi, subministrant, quae Galliae Tuae desunt; sed simul vicem quoque meam doleo, quod nec Alsatia nec vicina nobis, quam proximo vere tum aditurus, Germania ferax admodum sit illarum rerum, quae Tibi tam ardua molienti usui esse possint. Si qua tamen illa haberet digna attentione Tua, meam in illis conquirendis operam, studium diligentiam promptissimam fore certo Tibi persuadeas velim. Non ignotus mihi est, quem citas Schedius de Dijs Germanorum, sed nescio an ille argumentum, quod tractandum sibi sum, sit penitusque exhausserit. Percurram denuo illum, et si quae in lectione ejus dubia mihi occurrent, Tu spero, Vir praeclarissime, pro affectu in me Tuo facile patieris, ut remedium inscitiae meae ab eruditione Tua quaeram. Huic ipsi etiam argumento, tum altari

¹⁾ Ibid. 17702, p. 155 sqq.

quoque, ejus mentionem facis, de militia scil. Germanorum plurimum lucis affere videtur Cluveri Germania antiqua. Ignotum mihi est, ad quaeque tempora in enarratione antiquitatum Germanicarum velis descendere; nam si medij quoque aevi monumenta animus esset amplectendi, possem forsitan ea in re Tibi usui esse, cum non absque temporis dispendio horridos illos Francicarum Germanarumque rerum scriptores, ex quibus Germani fundamenta juris sui publici hauriunt, evolverim. Irmensula ad minimum Saxonica a Carolo Magno eversa locum aliquem in opere Tuo mereri videtur tum quod fanum idolo huic Erenburgi consecratum, celebratissimum per totam Germaniam fuerit, tum quod destructio ejusdem imaginem aliquam praebuerit funeris expiraturae apud felices clade sua Saxonas idololatriae. Hujus autem descriptionem non aliunde melius, quam ex Meibomio et monumentis Paderbornensibus poteris cognoscere. Quid de Hannone Lybico Hamburgi olim a Transalbanis Saxonibus culto sentias, scire praecipio. Ego fabulam credo refutatam iam ni fallor Alberto Crantzio. Columnam Antoninianam, de qua loqueris, explananda Germanorum militia multum conferre nullus dubito, sed nescio annon Gutherij quoque Belgium Romanum aliqua Tibi sit suppeditaturum haud spernanda. Germanicam linguam eandem, quam Celticam fuisse nunquam dicere mihi fuit animus. Nisi fallor, non Celticam linguam dixi sed linguam Celtarum, quae duo utique diversissima sunt: posterior enim loquendi formula generaliorem sensum admittit quam prior. Notum est, interdum Celtarum nomen ita late ab antiquissimis scriptoribus sumi, ut non modo, quae vulgo hoc nomine veniunt nationes comprehendat, sed ambitu suo Germanos quoque, imo omnes ad extremas usque septentrionis oras habitantes gentes complectatur. Has quamvis una eadem lingua locutas nemo dixerit, cujusvis tamen gentis idioma, idioma Celtarum appellari potest, quod gens illa inter Celtas. Quemadmodum et Slavonica lingua, utut a Theotisca diversa lingua Germanorum dici potest, quod Slavi Germani fuerint.

Taces, mihi de nomine ab Argentinensibus idolo suo imposito sermonem fuisse, quorum lingua si non eadem cum Celtica fuit, certe eidem propius accessit. Quod Tu vero, Vir eruditissime, plane non videris admittere Theotiscam Celticamque linguam eandem fuisse, in eo quidem me Tecum sentientem omnino habes, sunt tamen inter Germanicarum antiquitatum scrutatores, qui nonnisi dialecto distinctas fuisse volunt.

Caeterum non ego minus ac Tu, Vir Clarissime, saepissime dolui cogitans, quibus initiis quove progressu religionis sint facta divortia. Si enim, ut ipse ais, tanta non est, inter Augustanae fidei cultores et vestrates Gallos Catholicos in fide disciplinave discrepantia, ut priores illi debeant horum opinionem respuere,

ego causam non video, quae posteriores hos eo adigat, ut debeant illorum dogmata condemnare. Neque enim nos sejuximus ab Ecclesia vestra, sed a Vobis extrusi sumus. Eam certe tristem in Ecclesia rerum faciem cum Lutheri exortam fuisse ut seria illa reformatione opus haberet, cordatioribus quique ex vestratibus diffiteri nunquam sunt ausi. Neque ipse Lutherus aliud agebat, quam ut impugnaret abusus, quos in Ecclesiam vestram irrepsisse constabat. Jam ante Lutherum certa nationis Germanicae gravamina ex communi Ordinum Imperij decreto tradita Nuncio Pontificis fuerunt: sed num adhibita morbo medela fuit? num auditi qui saniora suadebant? Ante excommunicatus, ante proscribitus Lutherus fuit, quam ille de convellenda Papa quam sibi sumserat, quamque ipsi ut exorbitantem damnatis, auctoritate cogitaret. Etsi quievissent tum Protestantes, num putas sua sponte id facturum fuisse Papam ad quod faciendum nec preces, nec minae, nec praesens quod potentiae ipsius imminere periculum promoveri eundem poterat. Si vero ut ais inter Catholicos recenseri quis potest etiamsi Augustini et Thomistarum de gratia doctrinam sectetur, ego non video, quomodo Molinistae non sint ex Ecclesiae vestrae unitate excludendi a caeteris in articulo fidei quam maximi fundamentali dissentientes, praesertim cum dubium vix sit, quin Molinae errores ipse etiam Papa anathemate percussisset, nisi potentiorum metuisset offensam.

Conqueritur in epistola quadam ad amicum Vir Summus Grotius eo deventum jam esse, ut vel ob diversas loquendi formulas aut certi ob levissimum circa dogmata quaedam fundamentum salutis non spectantia discussum haereseos crimen sibi mutuo impingere non vereant. Christiani cum in veteri ut ille quidem ait Ecclesia caritas proximi longe alium morem induxerit tolerandi scilicet in unitate Ecclesiae eos, qui confessioni generaliori subscribentes in alijs non idem omnes sentiebant. Num vero consuetudinem hanc imitati fuerint, qui Tridenti congregati erant Patres, judicent ipsi Galli Catholici, qui acquiescere illius Synodi decretis nequeunt nisi jure anathemate et illos percussos profiteri velint qui e. g. matrimonia absque consensu parentum inita nulla declaraverunt?

Dices hoc ad Disciplinam non fidem spectare: largior, sed ergo non sacro hic opus erat fulmine: quod, si mentem Concilij Tridentini inspicimus, et in illos ex vestratibus latum erit, qui de Justificatione idem quod Thomistae sentiunt. Certe cum horum scripta cum ijs confere, quae de praecipuo hoc religionis Christianae articulo in decretis illius Synodi habentur, fateri habeo necesse me non videre, quae tam diversae a se invicem decisiones una stare queant. Quodsi ne nostros quidem in illis religionis certaminibus melius se gessisse contendes, habebis me fatentem reum.

Multis enim Germaniae principibus doctrina Evangelij non tam curae, quam ad palatum erant bona Ecclesiastica, quae sub specioso hoc reformationis pretextu ad se rapere gestiebant. Ita scilicet plane censeo hac quoque in re, uti in plerisque alijs fieri solet, peccatum fuisse Iliacos intra muros et extra. Lubens interim profiteor, me ex vestrorum lectione id didicisse dissensum in multis de verbis non de re esse. Gratia efficax non necessitans cum nostrorum doctrina prorsus convenit: et si quis merito bonorum operum nullum aliud fundamentum substernat, quam gratuitum amorem Dei, quod nonnulli ex Catholicis faciunt, me *δρόφρον* utique habebit. Necessitatem bonorum operum utinam Christiani omnes serio et crederent et perpenderent. De numero Saramentorum nihil attinet dicere, cum perspicuum sit, diversas loquendi formulas, ubi de re convenimus non posse inducere fidei discrimen. Ritus ex antiqua Ecclesia receptos utique non damno, modo omnis absit superstitio, quae tolli posset re manente salva. Reverentiam Sanctis exhibendam et nos docemus: mihi perinde est, quocumque demum Graeco vocabulo exprimere eam volueritis. Majorem Deo cultum exhibendum et vos fatemini: si plebs superstitioni interdum nimium tribuit, quod in Germania imprimis ubique fieri solet, id vel pastorum negligentiae aut ignorantiae vel ipsi plebis genio non religioni tribuendam arbitror. Transubstantiationem everbere videtur locus 1. ad Cor. 10.¹⁾ ubi τὸν ἄρτον κοινωνίαν dicit. Vox sacrificij quam de Missa adhibetis plures significationes admittit, sint et alio in sensu preces sacrificia Deo gratissima in s. Litteris vocata. Sacerdotum conjugium et communio sub utraque denuo rursusque intro duenda fuissent. Odi innovationes, quae eo tempore contigerunt uti barbaries regnabat. Et si vel maxime fateremur calicem absolute non esse necessariam de quo adhuc sub iudice lis est, dispiciendum tamen fuisset annon id dandum fuerit precibus summorum Principum monitisque piissimorum atque eruditissimorum in Ecclesia virorum ut ne tot simplices minimeque perversi animo sitirent.

Verum haec omnia, uti recte mones, praesenti fusius exponi possent: ego intra anni hujus spatium me Tecum futurum plane confido. Quo vero nunc veritatis studio unice a me scripta sunt, Tu Vir Colendissime in meliorem uti spero interpretaberis partem. Praejudicatae opiniones a me longe absunt: reliqua in manu Dei sunt cujus coelestem gratiam ardentissimis expetere precibus nunquam cesso. Non dubito multorum etiam pro vera religione zelum, non zelum sed rabiem esse; pium illi credunt in re quam maxime sanitas quam maxime insanire. Summus pacis, summus concordiae

¹⁾ I. ad Cor. 10, 16. τὸν ἄρτον, ὃν καλῶμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ ἐστίν;

auctor horum mentem meliorem reddat pacemque restituat Ecclesiae suae et tranquillitatem, quod futurum facilius sperarem, si pie magis in tam inquinato sceleribus saeculo viveretur.

Annum quem nuper auspicati sumus, omni ex parte faustissimum Tibi apprecor, valetudinem et prosperitatem Tuam Deo, meque Tibi quam enixissime commendans. Vale vir doctissime viveque non immemor

addictissimi

Pl. Reverendae dignitatis Tuae cultoris

Joh. Christophori Bartensteinij.

Scrib. raptim Argent. ipsis Idibus Januarij 1714.

Suavissimum sodalem Tuum D. Charles meo nomine plurimum saluta: nescio annon is oblitus sit nostri, neque enim Tu ullam ab eo salutem mihi dixisti.

(Fortsetzung folgt im nächsten Hefte.)

Neueste Benediktiner- und Zisterzienser-Literatur.

Mit Benützung gütiger Mitteilungen der p. t. Herren Allmang, P. Georg (Hünfeld) und Förster, Dr. Remaclus (O. S. B. Maredsous); aus einer großen Reihe von Ordens- und literar. Zeitschriften zusammengestellt von der Redaktion.*)

LXXXIX. (89.)

(Fortsetzung zu Heft 4, 1902, S. 686—703.)

Admont (mon. O. S. B.), s. Kienast. — **Aduard** (olim mon. O. Cist.), s. Bruggmans. — **Albe**, E: Quelques notes sur l'abbaye de Marcillae. O. S. B. [Extrait du Bulletin de la Société des études littéraires, scientifiques et artistiques du Lot. t. XXVI.] (Cahors, Delpérier, 1901. 8°. 29.) — **Albers**, B.

*) Wir wiederholen hier das oftmals schon vorgebrachte und leider so wenig bisher beobachtete dringende Ersuchen, uns bei Zusammenstellung dieser Abteilung insbesondere nach besten Kräften unterstützen zu wollen, da wir nur so in der Lage sind, ein möglichst vollständiges Gesamtbild der großartigen literarischen Tätigkeit unserer beiden Orden in der Gegenwart unseren Lesern darbieten zu können. Wir stellen diese Bitte an die p. t. hochwürdigsten HH. Äbte, Klostervorstände, Bibliothekare, an alle Mitbrüder Ord. S. Ben. und Cist., an alle Freunde und Gönner der „Studien“, so wie auch an alle Verlagshandlungen. Sie alle mögen uns gefälligst alles zur Anzeige resp. zur Vorlage bringen, was in dieses Literatur-Verzeichnis hineingehört: alle auf unsere beiden Orden sich beziehenden oder von Ordensmitgliedern verfaßten neuen Druckwerke, Artikel in Zeitschriften, Schulprogramme etc. Doch sollen uns die bez. Angaben bibliographisch genau gemacht werden, d. h. mit Bekanntgabe des ganzen, genauen Buchtitels, des Ortes und Jahres der Ausgabe, Namen des Verlegers, Angabe des Formates und der Seitenzahl sowie des Preises. Vorstände resp. Direktoren von Ordens-Lehranstalten bitten wir insbesondere um geneigte Zusage der Schulprogramme, deren wir für 1902 nur sehr wenige erhielten. Möchten doch die sichtlichen Schwierigkeiten bei Zusammenstellung dieser Rubrik uns fortan eine kräftigere und mehrseitigere Unterstützung zuführen und zuwenden, was bisher leider noch immer nicht der Fall ist! Für jedwede bez. Mitteilung bleibt herzlich dankbar die Redaktion.